

PRAXIS TUTELE
ABSOLVTISSIMA

IO. PAULI GALTERII I. C. ALTIMONTANI.

IN QVA MIRO ORDINE, AC METHODO,
quæcumq; ad Tutores, Pupillos, & Iudices in hac ma-
teria spectant, explicantur, & traduntur.


OPVS SAN E AVREVM ADVOCATIS, IVDICIBVS,
& alijs tam in foro, quàm in scholis versantibus appime
utile, ac necessarium.

ACCESSERE PRÆTEREA HAC SECUNDA
editione Additiones eiusdem Authoris eruditissime
Asterisco notatæ.



NEAPOLI, Ex Typographia Secundini Roncalioli.

Sumptibus Stephani Monleueri Bibliopola. MDCXXI.
SUPERIORVM PERMISSV.



ADMODVM ILLVSTRI VIRO

IOANNI BAPTISTAE

VALENZVELAE

VELAZQVEZ

Regio à latere Consiliario, Regiamq; in Regno
Neap. Cancellariam Regenti. Dño suo.



Ioannes Paulus Galterius Altimontanus Iureconsultus
æternam fælicitatem.

Vetus fuit apud omnes cunctarum ferè
regionum scribentes institutum, ut lu-
cubrationes suas celsioribus quibusdã
viris, qui eas à Zoilorum mor sibus, ac
inuidiorum iuerentur telis, nuncuparent. Non ta-
men ignoro eorum quosdam genere claros, opibusq;
potentes viros, hos supremis in Republica magistra-
tibus præcellentes, illos verò literarum, ac scientia-
rum fulgore nitentes optasse, qui proprio Marte,
proprijsq; viribus oppugnantes ac cerent, atq; terre-
rent.

IOANNIS PAVLI GALTERII

IVRE CONSVLTI ALTIMONTANI,

PRACTICA TUTELARIS,

foeliciter incipit.



P R A E F A T I O :

TUTELA mihi à quodam consanguineo filiarum
suarum, ac bonorum administratione præceteris
contutoribus testamento delatis, quia id oneris
nec poteram, nec ex causis reiicere debebam,
acceptaui; sperans in verbis eius, qui per Dau-
dem Psalm. 40. & 145. *Beatus qui intelligit super
egenum, & pauperem, pupillum, & viduam suscipiet, in die mala
liberabit ipsum Dominus: Et quoniam hoc intelligere, & suscipere
est, si quis omnia, quæ debet, legitimè efficiat, & non si pupillæ, &
viduæ iudicium peruertat, quia maledictus; vt habetur Deutero-
nomij cap. 27. num. 19. ideo, vt facienda facerem, & omitenda
relinquerem, circa materiæ tutelaris cognitionem aliquot annis
consumptis, cogitabam ad instructionem, & salutem meam, alio-
rumq; tutorum, & pupillorum defensionem Praxim tutelarem con-
ficere, & ea, quæ hinc inde sparsa collegeram in ordinem, & tra-
ctatum redigere: Verum, quia puer ego eram, pro vt sum, & loqui
nescius, vt Hyeremix cap. 1. num. 6. recurrens ad te, Domine vir-
tutum, cum Dauide Psalmo 118. virgulo 38. & 43. *Statue (dixi)
seruo tuo eloquium tuum in timore tuo: Ne auferas de ore meo ver-
bum veritatis vsquequaque, quia in iuditijs tuis supersperavi & cum
Moyli Exodi cap. 4. audiui. Perge, & ego ero in ore tuo, doceboq;
quid loquaris.* Vnde Deo ipso fauente ad opus me accingens com-
pleui, illudq; in tres partes commodioris vsus, & memoriæ gratia
iuxta doctrinam glo. in §. igitur in Procemio Institutionum, diui-
dendum*